



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sectio I. Quædam breviter notantur circa scientiam Christi increatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

XIV. De gratiâ capitis in Christo, respectu Angelorum & hominum diximus supra disp. 46. sect. 4. hic solum noto, cum Sanctus Thomas q. 8. a. 5. dicit gratiam capitis in Christo esse gratiam habituales, non esse hoc intelligendum de gratiâ habituali per se sumptâ, sed ut conjunctâ cum gratiâ unionis, cui proprie videtur tribuenda hæc dignitas.

Respectu damnatorum non est caput Christus, ut ait S. Thomas quest. 8. art. 3. corpore: respectu verò rerum insensibilium est potius Dominus, quàm caput, sicut Regem nullus vocat caput respectu lapidum, sed solum respectu subditorum, cum caput in conceptu suo dicat potestatem imperandi.

XV. An Christus sit caput damnatorum, & rationis insensibilium.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De Scientiâ Christi.

SECTIO PRIMA.

Quædam breviter notantur circa scientiam Christi increatam.

I. In Christo quatuor sunt scientiarum genera.



UATUOR scientiarum genera in Christo statuunt Theologi, increatam, visionis, Infusam, & Acquisitam, seu Experimentalem. Quoad increatam licet certum sit fuisse in Christo, cum sit ipsa natura divina, quæ unita fuit humanitati ut supra vidimus, non tamen de eâ hic disputant Auctores, cum non reddat animam Christi intelligentem ut docent omnes contra Hugonem Victorinum; ad hoc enim deberet esse forma eam informans.

II. Quævis Christi anima sua subsistere possit subsistentiâ increatâ, non tamen intellectione increatâ intelligere.

Nec valet argumentum à paritate, potest anima Christi subsistere per subsistentiam increatam, ergo & per intellectiõnem increatam intelligere. Negatur enim consequentia, tum ob rationem dictam, tum quia ut forma vel quasi forma det effectum suum formalem, accedere alteri debet sub eâ ratione, sub quâ est incompletum, sed humanitas non est incompleta substantialiter, nisi in ordine ad subsistentiam, ergo. Præterea, subsistentia ex conceptu suo est tantum terminus; definitur enim esse ultimus terminus nature, ergo potest suppleri ab aliquo quod non est forma. Deinde intellectio divina non est vitalis respectu animæ Christi, ut diximus Disputatione præcedente sectione primâ. Nec etiam ex eo quod Deus supplere possit vicem speciei impressæ sequitur posse eum supplere expressæ; species enim impressa solum concurrat effectivè; cum ex conceptu suo sit semen objecti, & consequenter concursus ejus est ex naturâ suâ extrinsecus, concursus autem speciei expressæ est intrinsecus per modum formæ, Deus autem esse forma non potest, sicut nec subjectum; hoc enim in eo argueret incompletiõnem & potencialitatem.

SECTIO SECUNDA.

De scientiâ beatâ Christi.

I. Unum in Christo Mo-

MONOTHELITÆ, ut consequenter in suo errore procederent, sicut unam tantum R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II

in Christo statuebant voluntatem, ita similiter unum solummodo dicebant in eo esse intellectum, & ut hominem nihil illum intellexisse asseriebant, sed tantum ut Deum: qui tamen error ex mille Scripturæ sacræ locis aperte refellitur in quibus Christo ut homini tribuitur scientia: cum etiam Christus orasse dicatur, manifestum est habuisse cognitionem illi naturæ proportionatam quæ orabat. Tandem in sexta Synodo act. 4. definitum est Christum habuisse tum divinum, tum humanum intellectum & voluntatem his verbis: *Constemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent: duas naturas ejus predicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur, divinam omnia quæ divina, humanam omnia quæ humana sunt absque ullo peccato.* Quibus verbis aperte docet Concilium Christum ut hominem habuisse scientiam propriam naturæ humanæ, & consequenter creatam, de qua in præsentem est sermo.

nehilic potest esse intellectum, eumque ut hominem nihil intellexisse asseriebant.

Supponenda hic in primis circa scientiam beatam ea quæ Christo cum reliquis beatis sunt communia, nempe indigere ad illam lumine gloriæ, posse per ipsam videre creaturas in Deo, posse aliquas videri non visis aliis, &c.

II. Quædam hic circa scientiam beatam sunt supponenda.

Secundo circa hanc scientiam supponendum, fuisse, ut passionem unioni debitam, intusam animæ Christi primo conceptionis instanti, quod probatur communiter ex illo Joannis primo, *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit, &c.* ubi sermonem esse de Christo ut homine exinde constat, quia cum loqueretur ut homo, locutio oriri debebat à voluntate & notitiâ sibi proportionatâ. Fuit autem hæc scientia in Christo longè perfectior quàm omnium Sanctorum, etiam simul sumptorum. An verò infinita, eodem modo loquendum quo supra locuti sumus de gratiâ habituali.

III. Scientia beatâ Christi anima primo conceptionis instanti fuit infusa.

Quod ergo in præsentem disputant Theologi est an Christus per scientiam beatam formaliter viderit in Deo futura omnia, præterita, & præsentia, seu ea quæ Deus videt scientiâ visionis. Quæ in re communis est pars affirmativa cum S. Thomæ quest. 10. art. 2. corpore. Varia ad hoc probandum Scripturæ sacræ testimonia congerit Bellarminus tom. 1. controversiâ 2. de Christo lib. 4. cap. 2. quæ licet probabilitate non careant, omnino tamen efficacia non sunt.

IV. Christus per scientiam beatam videt quicquid Deus videt per scientiâ visionis.